



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

II. Eos videtur Esdras ex vetustiorum Scriptorum commentariis
excerpsisse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260


terpretationi Acta Apostolorum, in quibus Saulis regno quadraginta anni tribuuntur; conjunctis videlicet in unum annis, quibus & Samuel & Saul Israeliticam gentem rexerunt. Vel sic comma hoc accipies, eo tempore de quo septimo capite agitur, cum nondum Rex creatus esset Saul, Samuelem jura Ebraeis reddidisse tam assidua cura, ut nullam sibi, ad relaxationem animi & requiem, diem vacivam fumeret.

X. Magnum porro vetustatis indicium libris Samuelis positum est in ritibus quibusdam & fabellis, quas inde provenisse manifesta est fides. Solennis illa apud Athenienses Phallorum gestatio in honorem Bacchi, ex oraculi mandato instituta, ad sanandum morbum pudendis illorum à Baccho inflictum, cum ejus sacra à Pegaso Eleutheriensi apud se invecta sprevisissent; hæc est historia Azotiorum recocta, qui propter Arcam Dei inhonoratam, & in templum Dagon temere illatam, hæmorrhoidibus afflicti sunt, & tum demum sanati, cum simulacra aurea partium ægrarum in cistella apposuerunt. Narrant Fabulatores, Trojæ repertam à Græcis arcam Eurypylum referasse, & post visum Bacchi simulacrum illic reconditum statim ceritum extitisse; quo figmento adumbratur Bethsamitarum infortunium, qui propter visam Domini Arcam maxima clade à Deo affecti sunt. Notat Clemens Alexandrinus Græcicam fabulam de Æaco precibus pluvias eliciente de cælo, cum squallore & frugum penuria Græcia laboraret, prodiisse ex Ebraica historia de Samuele, ad fidem sibi inter suos conciliandam, imbres & tonitrua ciente, cum sudum esset.

Act. 13. 21.

Ex libris Samuelis quidam manarunt Græcorum ritus & fabule.

Clem. Alex. Strom. 6. 1. Reg. 12. 17. 13.



DE LIBRIS REGUM.

- I. Disputatur de Auctore librorum Regum. Variæ opiniones proponuntur.
- II. Eos videtur Esdras ex vetustiorum Scriptorum commentariis excerptisse.
- III. Probatum eorum antiquitas. IV. Fidem etiam his conciliant Ebnici Scriptorum. V. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. VI. Secundum argumentum. VII. Ex libris Regum quedam manarunt Ebnicorum fabule & ritus.

I. LIBRORUM Regum nihilo notior est Scriptor ac superiorum. Eo tamen variaz recidunt Interpretum sententiæ, ut Esdram nonnulli, Jeremiam plerique, ac Thalmudistæ potissimum, alique Rabbini, composuisse eos, vel aliunde potius excerptisse statuunt. Sciendum est enim, apud Ebræos, & apud Ægyptios, Tyrios, ac Babylonios, aliasque Orientis gentes, acta diurna in literas diligentissime fuisse relata. Hoc munere quiungebatur apud Ebræos, dicebatur *מגיד* *A commentarii*. Sic fuisse videtur Chaldaus Paraphrastes. Hujus ordinis fuerunt Josaphatus & Joahe, in libris Samuelis & Regum memorati. Prophetæ quoque perscribebant accurate quæ sibi mandata fuerant & significata à Deo, & quæ sibi eveniant, dum Dei mandatis obsequerentur: quæ quoniam ad Reges fere & optimates pertinebant, hinc libris ipsorum magna publicæ historiæ pars continebatur. Simile in Poëmaticis suis egisse Solonem, si profana licet sacris componere, refert Plutarchus. In versus enim suos politica ille & historica pleraque infarferat: non ut res ipsas posterorum commendaret memoriæ, sed vel ut rerum gestarum aperiret causas, easque excusaret; vel ut commonefaceret Athenienses, aut castigaret. Sed & extra Prophetias, rerum etiam ætate sua gestarum scriptionem privata opera Prophetæ suscipiebant. Testatur Theodoretus. Factum id ab Isaiâ, quem Ozia regis historiam scripsisse docent Paralipomena. Factum & à Jehu, de quo hæc leguntur: *Reliqua Actorum Josaphat scripta sunt in verbis Jebu filii Manani, que digessit in libros Regum Israel*. Unde colligo libros Jehu ejus fuisse dignationis, ut relati sint in libros Regum Israel, quos actorum diurnorum commentarios fuisse existimo. Sed & alii etiam hanc in se operam recipiebant; nam ex sacris Historiis nonnullas scriptas esse constat ab iis Auctoribus, quos Prophetas fuisse dixerit nemo, etsi Spiritu sancto dictante scriptæ sunt. Mardocheus, post patefactas Eunuchorum adversus Artaxerxem insidias, rei memoriam literis tradidit, ut legitur in libro Esther. Qui vero scite id & perite administrarent, hi fuisse videntur, quos appellabant *שופרים*, ac si dicas *Elegantes scriptores*. Fiebat autem id utraque oratione, & prosa, & versa. Quare valde fallitur Josephus, cum solos Prophetas, in gente sua, veteris ævi gesta literis mandasse affirmat; parum memor se ibidem scripsisse, Pontificibus quoque id muneris fuisse impunctum.

Disputatur de Auctore librorum Regum. Variæ opiniones proponuntur.

Plur. Solon.

Theodoret. Prefat. in lib. Reg. 2. Par. 26. 22. 2. Par. 20. 34.

Esth. 12. 7. Joseph. lib. 2. contr. Apion.

II. Ex publicis vero commentariis excerptos fuisse libros Regum qui nunc extant, & in compendiarium historiam conflatos, pervulgata est multorum opinio, & vero.

Eos videtur Esdras ex ve-



*in hunc modum
Scriptorum
commentariis
excerpsisse.*

Diod. in 1.
Sam. 9. 9.
Theod. Præp.
in libr. Reg.

Idem, libr. 6.
Origin. cap. 1.

*Præbatur eo-
rum generis
& antiqui-
tas.*

Ecclesi. cap. 48.
& 49.

Luc. 4. 25, &
seq.

Rom. 11. 2, &
seq.

*Fidem etiam
hæc conciliant
Ethnici Scri-
ptores.*

Joseph. Antiq.
libr. 8. cap. 2.
Theoph. libr. 3.
ad Autol.
Euseb. Præp.
libr. 10.
Clem. Alex.
Strom. 1.
Jof. Ant. l. 9.
c. 2.
Just. l. 36. c. 2.
Her. l. 2. c. 141.
Ber. apud Jof.
Ant. l. 10. c. 1.
Dem. apud
Clem. Str. 1.

simillima : nam in iis laudatur *Liber verborum dierum Salomonis* ; sæpissime vero *Liber verborum dierum Regum Israël* , & *Liber verborum dierum Regum Juda* . Jam cum etiam extabant libri *Semeiz* , *Ahiz* , aliorumque Prophetarum , qui sæpe laudantur in Paralipomenis . *Isaia* totum tricesimum ac septimum caput , cum initio sequentis , ac tricesimo nono , in secundi Regum decimum nonum caput & vicefimum ἀνωλεξὶ depromta sunt . Planissime mecum sentiunt Diodorus Tarfensis & Theodoretus , Prophetas res ætatis suæ memorabiles retulisse in literas , & ex eorum commentariis excerptos subinde fuisse libros Regum . Mihi vero id *Esdræ* potiori jure tribuendum videtur quam *Jeremiæ* , quem sparsas Regum historias in unum corpus coëgisse vult *Isidorus* : nam in dirigendis & componendis libris ad res sacras pertinentibus potissimum versata est *Esdræ* industria : & in testimonium sæpe ab eo adhibita in his scripturionibus historiæ regum *Juda* , & *Israël* , & Prophetarum libri , indices sunt assidui sacrorum Librorum usus , qualem *Esdras* habuit . Præterea sexto capite libri prioris Chaldaica usurpat nomina mensium , ut hominem decuit Chaldaico sermone infusum . *Jeremiæ* qui libros Regum transcribunt , causas alias non habent , quam sermonis similitudinem , quæ non magna est , proptereaque intutum dat indicium : vel postremi capituli libri Regum cum postremo *Jeremiæ* capite convenientiam , nam alterum ex altero descriptum dicas ; at caput illud adventitium esse , & ad *Jeremiæ* calcem ab aliena manu subnexum , ostendit præcedentis capituli coronis , quæ talis est : *Huc usque verba Jeremiæ* : atque ea narrantur illic , vel quæ *Jeremiæ* obitu recentiora sunt , vel quæ jam in superioribus capitibus *Jeremias* retulerat .

III. Nec deficiunt Librum hunc aliorum Scriptorum testimonia . Ita de *Elia* , *Elifæo* , *Ezechia* , *Josia* , aliisque differit *Sirachides* , ut ex libris Regum , non res solum , sed nonnunquam etiam verba ipsum hausisse appareat . Confer hos cum libris Paralipomenon , tantam orationis deprehendes convenientiam , ut parem propemodum utriusque vetustatem odoreris . Quanquam propter illorum novitatem perpauca extant in sacris Veteris Testamenti libris inde sumta *phosæ* & sententiæ . At in Novo Testamento illorum egregie confirmat *Christus Jesus* , cum ait : *In veritate dico vobis , multæ viduæ erant in diebus Elia , in Israël , quando clausum est calum annis tribus & mensibus sex , cum facta esset fames magna in omni terra , & ad nullam illarum missus est Elias , nisi in Sarepta Sidonia , ad mulierem viduam . Et multi leprosi erant in Israël sub Elifæo Propheta , & nemo eorum mundatus est , nisi Naaman Syrus .* Hæc suppeditavit decimum septimum caput tertii Regum , & quintum quarti . Confirmat & *Paulus* , dum hæc scribit ad Romanos : *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura : quemadmodum interpellat Deum adversus Israël ? Domine , Prophetas tuos occiderunt , altaria tua suffoderunt : & ego relictus sum solus , & querunt animam meam . Sed quid dicit illi divinum responsum ? Reliqui mihi septem millia virorum , qui non curvaverunt genua Baal : quæ è decimo nono capite tertii Regum sumta sunt .* Verumtamen his etiam omisiss , quod à Septuaginta Senibus interpretatione Græca donati sunt libri Regum , & quod in Canonem Librorum sacrorum dedicati , vetustatem illorum satis hæc arguunt . Et ut dubii eos esse Scriptoris & ætatis incertæ demus , haud minus genuinos esse vincemus , ut pote qui tales sint , quales esse creduntur .

IV. Præterea vero præclarum veritatis testimonium hisce Libris commodant *Ethnici Scriptorum* . Rerum enim novitas quæ iis narrantur , & major per novitatem parva celebritas , causa fuit , cur crebris exoticorum Auctorum , vel eorum , vel ætate proximorum suffragiis confirmarentur . Magna est imprimis monumentorum Tyriorum fides , quæ publica auctoritate descripta , in chartophylaciis diligenter aservabantur . Atqui ex iis constat Hierosolymitanum Templum toto pene seculisculo ante fuisse ædificatum , quam Carthago conderetur . Meminerant eadem *Salomonis* & *Hirami* , eorumque mutuas Epistolas representabant , etiam temporibus *Josephi Historici* , itidem ut illa *Judæorum* , unde & is sacrorum Librorum veritatem defendit . Ex his , aliorumque locorum tabulariis , historiam suam depromferat *Menander Ephesius* . Fiebatque illic mentio ἀρωλεξίας , quæ *Elia* temporibus in *Judæa* & *Phœnicia* contigit , *Achabo* apud *Judæos* , *Ithobalo* apud *Tyrios* regnante . Ex eo etiam , & *Dio* , integerrimo Phœniciarum rerum Scriptorum , testimonia affert *Josephus* , ex *Menandro Theophilus* , quibus commemorantur *Salomon* & *Hiram* , & *succisæ cædri Libani* in ædificationem Templorum . Idem extabat apud *Theodotum* , *Hypsicratem* , & *Mochum* , Phœnicia conditores Historiæ , & horum interpretem *Latum* ; & *Menandrum* quoque *Pergamenum* , ut à *Tatiano* traditur apud *Eusebium* , & à *Clemente Alexandrino* ; qui auctor præterea est , *Vasæ* *Ægyptiorum regis* , & *Salomonis* , & *Tyriorum* quoque Regis epistolas retulisse *Alexandrum Polyhistorum* in libro De *Judæis* . Eas etiam ex *Eupolemo* representat *Eusebius* . *Hazaëlem Syriæ* re-